



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hexaēmeron Hē Toi, Kosmourgia, Georgiou tou Pisidou
diakonou ...**

Georgius <Pisida>

Lutetiae, 1585

De mente & intelligentia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70102)

Rursus per ipsos lachrymas fundit pias,
Egressione vt eluat quæ ingressa sunt.

Si porrò labyrinthos latentes explicet
Oraculorum, essentiarum libripens
Subtilium: quî mens lutofo ponderi
Adhæreat, cœnóque iunctus spiritus:
Quî liber à concretione in mole sit,
Si nulla materies eum complectitur.

730 Quî ve oculus animi maximus sit insitus,
Vt eius acies penetret abditissima:
At nunc humi est affixus actionibus,
Tollens modò se salit in oras ætheris:
Præpetibus ac pennis volans Solem anteit,
Indagat & superas & imas quasque res:
His sufficit sanè, has mediocriter videt,
Ac cæterarum imagines signis capit.
Et appetitum sistere haud vsquam volens,
Attrahitur ad causam omnium excelsissimam,
740 Atque illius notitiam habere percupit:
Multum laborat, ac poli altum verticem
Prætergredi putat: sed ibi perstringitur,
Sit perspicaci corde quamuis præditus.

AST inuoluta hæc quando fila soluerit,
Vnum hoc studens, scrutatus altè, & dixerit
Abstrusus vt grassator ille mentium,
Prædoque animorum, cordis humani lues,
Elatio caliginis, primus Draco,
Intrò ferat ductas voluptates foris:

De mēte &
intelligētia.

De astu &
præstigiis
sempiterni
hostis gene-
ris humani.